

08 12

1855



INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBURGENSESI

PER HIEMEM

ANNI MDCCCLV—VI A DIE XV OCTOBRIS

DR. LAUR. FEJDT.

INSTITUENDARUM.



PRAECEDIT MICHAELIS JOS. KRUEGER, THEOL. D. ET PROF. P. O.

DE ANNIS CCCC ET CCCCXXX

GEN. 15, 13. ET EXOD. 12, 40. 41. OBVIIS,

COMMENTATIO CHRONOLOGICO-HISTORICO-CRITICO-EXEGETICA.



1855

Brunsburgae,
impressit C. A. Heyne.

1855



INDEX LECTIORIZUM


LYCEI REGII HOSIANI RECTOR

DR. LAUR. FELDT,

LYCEI REGII HOSIANI RECTOR

DR. LAUR. FELDT,

PROF. PUBL. ORDIN. ET NONNULLARUM SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALIS.



AB 1472

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBURGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

E crucibus interpretum scripturae sacrae gravioribus duplicem Vobis, Commilitones, nunc ostendimus, quam sine ulla defatigatione jam portare possitis, a nobis artem edocti. Abstinentes autem a confutandis aliorum opinionibus, quum magni voluminis conscribendi nec voluntas nobis sit, neque haec opportunitas, verbis paucissimis quae nostra sententia sit explicabimus.

I. Oraculum Gen. 15, 13—16. Abrahamo datum duas temporum determinationes exhibet, alteram definitam 400 annorum, quibus posteri Abrahami in regionibus ab aliis gentibus occupatis sicut peregrini habitaturi sint, alteram indefinitam quartae generationis, quae in terram Chanaan reversura sit, patribus, avis et proavis in regione extera emortuis. Generationem alteram altera excipit, quando filii e ductis nuper uxoribus filios suscipiunt. Jam licet alii juniores, seniores alii matrimonium inierint, tamen circa Abrahami tempora ducendae uxori quasi sacratus annus 40 aetatis fuisse videtur (Gen. 25, 20; 26, 34), ita ut singulis hominum aetatibus 40 annos tunc tributos esse verisimillimum sit. Quodsi jam ex viris validis de Chanaan in regionem exteram profectis usque ad annum 100 habitationis in ista terra extera superstites erant (multos enim longius 130 annis vixisse testatur locus Exod. 6, 16 seqq.), horum filii annum 140, et annum 180 nepotes attigerunt, pronepotes autem circiter anno 200 post ingressos proavos eam ipsam terram exteram egressi sunt, si oraculum illud eventu probatum est. Itaque anni 400 minime referendi sunt ad habitationem et servitutem posterorum Abrahami in terra extera, sed respiciunt ad habitationem eorum omnem in terra ipsis non propria tam intra quam extra fines Chanaanaeorum.

II. Terminus, ad quem anni isti pertingunt, exitus de Aegypto est. In deserto enim iter facientes Israelitae jam non erant peregrini, quia in deserto nullus populus sedem fixerat, apud quem peregrinari potuissent. Terminus autem, a quo incipiunt, natus Isaacus est, solus filius ingenuus Abrahami, a quo illi ipsi descendebant, qui Aegyptum egressi sunt (conf. Gen. 21, 12). Quot annos Isaacus vivebat, tot et superavit de peregrinatione 400 annorum Abrahami posteris indicta.

III. Quot annos Isaacus complevit, et quot praeterierunt ab Isaaco mortuo usque ad profectum Jacobum cum filiis in Aegyptum? — Quod quo probius perspiciatur, seriem rerum inde a Jacobo in Mesopotamiam profecto gestarum proponimus, omissis quae ad hanc quaestionem non pertinent, quo post factum illud iter anno quidque actum sit appositis numeris signantes.

1. Jacobus apud Labanum in Mesopotamia habitat 1—20
 - Levi filium ex Lea uxore suscipit 10
 - Ex Rachel uxore carissima suscipit Josephum, *filium senectutis*, i. e. cujus curae sese mandaturus erat pater, si quando ad senectutem decrepitam pervenisset (Gen. 37, 3).
 - Eo enim sensu et Isaacus Abrahamo erat filius senectutis (Gen. 21, 2), nam filii Kethurae longe minores natu erant Isaaco 14
 - Dina filia ex Lea nascitur 16

Anni enim fere 2 erant inter Dinam et Isachar natum, qui eodem anno lucem vidit, quo Josephus. — (Gen. 29, 16—35; 30, 14—26; 31, 41).
2. Mesopotamiam egressus in Succoth et Sichem habitat 8 annos, donec Dina annum 13 aetatis attingeret et viro matura evaderet (Gen. 33, 17. 18; 34, 1 seqq. — Nidda 5, 5—9; 6, 1. 11) 21—28
3. Habitat in Bethel unum fere annum (Gen. 35, 1) 29
4. Ad Isaacum patrem Hebrone habitantem perrecturus, morte Rachel uxoris Benjaminum parientis detentus brevi tempore habitat apud Ephratam. Unde Hebronem profectus eodem anno Isaacum patrem sepelit (Gen. 35, 16. 27 seqq.) 30

Hoc ipso enim anno, quo Josephus annum 16 aetatis complevit, Isaacus mortuus est.

Nam

 - a. Post relatam mortem Isaaci (Gen. 35, 27—29) historia Jacobi narratur inde a Josephi anno 17 inchoato, aut 16 pleno secundum versionem Vulgatam (Gen. 37, 2).
 - b. Jacobum Josepho filio orbatum filii filiaeque omnes consolantur (Gen. 37, 35). Et paternae consolationis memoria certo servata esset, si Isaacus etiamtum in vivis constitutus Jacobum consolatus esset.
 - c. Josephus a fratribus solius Jacobi patris salutem quaerit, non Rachel matris, nec Isaaci avi, quod his jam mortuis in Aegyptum abductus erat (Gen. 45, 3).
5. Josephus e custodia liberatur post superatum annum 30 aetatis (Gen. 41, 46) 45
6. Post completos 7 annos fertiles et 2 annos steriles (Gen. 45, 6) Jacobus cum filiis in Aegyptum proficiscitur 130 annorum (Gen. 47, 9) 55

Jam locus Gen. 35, 28 a nato usque ad mortuum Isaacum asserit fuisse annos 180, et ab Isaaco mortuo usque ad iter Jacobi in Aegyptum secundum hanc nostram tabulam rerum a Jacobo gestarum anni 25 erant; ergo a nato Isaaco usque ad iter Jacobi in Aegyptum erant anni 205.

At alius annorum numerus venit, si aliter computatur. A nato enim Isaaco usque ad natum Jacobum locus Gen. 25, 26 asserit fuisse annos 60, et a nato usque ad profectum Jacobum in

Aegyptum secundum locum Gen. 47, 9 erant anni 130: ergo a nato Isaaco usque ad iter Jacobi in Aegyptum erant anni 190.

Dissensum hunc eliminat Flavius Josephus, quo teste Gen. 25, 26 et 35, 28 alii numeri olim legebantur, ac nunc leguntur. Scribit enim

1) Antiqq. I. 18 §. 1: *Ἰσαάκ δὲ μετὰ τὴν Ἀβραάμου τελευτὴν ἐκείναι τὸ γύναιον.* Legebat igitur Gen. 25, 26 non numerum 60, sed numero 75 majorem. Legisse autem eum, Isaaco 80 annos nato Rebeccam filios geminos peperisse, vel inde patet, quod vocis רַבְשֶׁשׁ mutatio in רַבְשָׁשׁ non difficilis est.

2) Secundum Antiqq. I. 22 §. 1. Jacobus e Mesopotamia redux et Isaacus *βραχία μὲν ἀλλήλοις συνδιατρίβουσιν.* Nam *οὐ μετὰ πολὺ τῆς ἀφίξεως τοῦ υἱοῦ* Isaacus mortuus est, postquam complevit *ἔτη πέντε καὶ ὀγδοήζοντα πρὸς τοῖς ἑκατόν.* Itaque non numerum 180, sed 185 legebat Gen. 35, 28.

Hos ipsos numeros vere genuinos Flavius Josephus e codice bibliorum sacrorum suo transsumsit, nec ipse cudit ex arbitrio: nam eorum usum neglexit in definiendis annis peregrinationis posterorum Abrahami ante et post profectum Jacobum in Aegyptum, quod infra ostendemus, praeterquam quod et causas afferemus, de quibus numeri isti genuini cum spurii commutati sint. Itaque ex auctoritate codicis bibliorum sacrorum, quem Flavius Josephus tenebat, a nato usque ad mortuum Isaacum erant anni 185, atque a mortuo Isaaco usque ad iter Jacobi in Aegyptum Flavius Josephus numeravit integros illos 25 annos, quos supra in tabula rerum a Jacobo gestarum posuimus, quoniam eo teste Isaacus mox post adventum Jacobi mortuus est. Nec minus secundum eundem codicem a nato Isaaco usque ad natum Jacobum erant anni 80, atque a nato Jacobo usque ad eum in Aegyptum profectum anni 130. Ex utroque autem computo emergit idem numerus 210 annorum a nato Isaaco usque ad iter Jacobi in Aegyptum praeteritorum.

IV. Deductis annis 210 a 400 restant anni 190 habitationis filiorum Israel in Aegypto. Huic numero suffragatur genealogia Aaronis Exod. 6, 16 seqq. a Levi usque ad exitum de Aegypto diligentissime et accuratissime perscripta.

1. Jacobus post 17 annos in Aegypto actos moritur senex decrepitus 147 annorum (Gen. 47, 28). Hujus autem mors non erat mors primae generationis in Aegypto habitantis. Nam solus pro se erat Jacobus, nullos habens aequales, quibuscum conjunctus generationis in Aegypto peregrinantis nomine vocari possit. Prima igitur generatio in Aegypto emoriens erant Jacobi filii (Exod. 1, 6.), quorum unus Levi, 4 fere annis major Josepho fratre, anno 44 aetatis in Aegyptum profectus, post annum vitae 137 superatum mortuus est anno 93 habitationis in Aegypto. Generatio secunda sunt nepotes Jacobi, quorum unus Kehath, Levi filius, mortuus est in Aegypto anno aetatis 133, habitationis autem in Aegypto fere 130: quoniam lucem vidit in Chanaan, indeque a patre in Aegyptum deductus est (Gen. 46, 11). Generatio tertia sunt pronepotes Jacobi, quorum unus Amram, Kehathi filius in Aegypto natus, post annum 137 aetatis ibi mortuus est. Quartae autem generationis homines non omnes in Aegypto mortui sunt: abnepotes enim Jacobi, atque in his Amrami filii Moses et Aaron Aegyptum egressi sunt, post factum iter Jacobi in Aegyptum aliquo anno, qui non longe a 200 aberat (conf. §. I.).

2. Levi anno 93 habitationis in Aegypto mortuus habebat filiam Jochabed in Aegypto natam (Num. 26, 59). Hanc ipsam Levi filiam, Kehathi autem patris sororem, Amram uxorem duxit (Exod. 2, 1; 6, 20), atque anno 80 ante exitum de Aegypto ex ea suscepit Mosen filium, et 3 annis abhinc Aaronem filium anno 83 ante exitum (Exod. 7, 7.), iterum abhinc saltem 10 annis Mariam filiam ante exitum fere 93 anno. Erat enim Maria, quando Mosès nascebatur, puella satis prudens et virgo viro matura, $\pi\rho\beta\eta$, aetatis annum saltem 13 agens (Exod. 2, 7. 8.). Jam si 190 annos Israelitae in Aegypto habitabant, inter mortuum Levi et natam ex filia Jochabed neptem Mariam spatium 4 annis majus certe non intererat, immo vidit ipse Levi Mariam neptem, si forte, quando Moses nascebatur, ea puella 18 annorum erat. En argumentum validissimum contra eos, qui filios Israel 400 aut 430 annis in Aegypto habitasse volunt, simulque nostrae sententiae praesidium maxime opportunum.

V. Apud Flavium Josephum libro Bell. Jud. V. 9 §. 4 patres in Aegypto *τυραννούμενοι καὶ βασιλεύσιν ἀλλοφύλοις ὑποπεπωκότες* 400 ἔτεσι fuisse narrantur. Idem scribit Antiqq. I. 10 §. 3, Abrahamo revelatum esse a Deo, *πονηροὺς αὐτοῦ τοῖς ἐγγόνοις γείτονας ἐπὶ ἔτη 400 γενησομένους κατὰ τὴν Αἴγυπτον, ἐν οἷς κακοπαθήσαντας περιέσεσθαι τῶν ἐχθρῶν*. Nec minus secundum eundem Antiqq. II. 9 §. 1 Israelitae primo ab invidia hominum privatorum, deinde ipsis regibus instigantibus mala quaecunque in Aegypto perpassi sunt, *καὶ 400 μὲν ἐτῶν χρόνον ἐπὶ ταύταις διήρυσαν ταῖς ταλαιπωρίαις*. Rebus ita comparatis nulla ratione potuit fieri, ut idem auctor alio loco, nimirum Antiqq. II. 15 §. 2, ea scriberet manu sua, quae nunc ibi leguntur, et quae habitationi in Aegypto 215 tantum annos tribuunt; sed e mente sua locis tribus citatis reclusa hoc quarto loco certe non scripsit, nisi haec: „*Κατέλιπον δὲ τὴν Αἴγυπτον — — — μετὰ ἔτη τριάκοντα καὶ τετρακόσια ἢ Ἰακώβον εἰς Χεβρῶνα [nunc τὸν πρόγονον ἡμῶν Ἀβραμὸν εἰς τὴν Χαναναίαν] ἐλθεῖν, τῆς δὲ τοῦ προγόνου ἡμῶν Ἀβράμου [nunc Ἰακώβου] μεταναστάσεως εἰς τὴν Χαναναίαν [nunc Αἴγυπτον] γενομένης διακοσίους πρὸς τοῖς δεκάπεντε ἐνιαυτοῖς ὕστερον*.“ Legebat enim Flavius Josephus in suo bibliorum sacrorum codice Exod. 12, 40, quod codices 12 et 296 de-Rossiani a prima manu habuisse videntur, et plurimi codices versionis LXX graece exhibent: „*Ἡ δὲ κατοίκησις τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, ἣν κατέφυγον ἐν γῆ Αἰγύπτῳ καὶ ἐν γῆ Χαναν, ἔτη 430*.“ Jam quum iter filiorum Israel e Mesopotamia tum demum finitum esset, quando Jacobus pater cum iis Hebrone apud Isaacum mox moriturum aderat (conf. Gen. 48, 7.), ab eo ipso anno incepit *habitatio* filiorum Israel in Chanaan. Secundum Flavium Josephum Jacobus paulo ante mortem Isaaci Hebrone advenit, i. e. 25 annis ante iter in Aegyptum. Dedit igitur ipse habitationi filiorum Israel in Chanaan 25 annos, reliquos 405 annos *habitationi* in Aegypto, afflictionibus autem et servituti tantum 400 annos, incipientes nimirum ab ultimo famis anno modo superato. Habitationem istam *filiorum Israel* in Chanaan praebant secundum Flavium Josephum anni 185 Isaaci, qui conjuncti cum 25 annis Abrahami ante Isaacum natum in Chanaan transactis 210 tantum annos faciunt, non 215: ita ut appareat, Flavium Josephum a re celeberrima aliqua gesta 5 annis ante adventum Abrahami in Chanaan hosce 215 annos numerasse, quae nulla alia esse potest, nisi exitus Abrahami de Ur Chaldaeorum, sive *inceptum iter* Abrahami

in terram Chanaan (*μετανάστασις εἰς τὴν Χαναάνειαν* — conf. Gen. 11, 31). Sicut igitur Jacobus e Mesopotamia iter 10 annorum fecit, donec veniret ad patrem, ita et Abrahamus 5 annis postquam de Ur Chaldaeorum exiit in petita terra Chanaan secundum hunc Flavii Josephi locum advenit, tempore intermedio absumto in Haran. Qua autem de causa Flavius Josephus annis 430 habitationis filiorum Israel in Chanaan et Aegypto 215 annos, i. e. ipsam dimidiam partem 430 annorum praemisit, infra docebimus. Hic id tantum monemus, in favorem hujus computi a Flavio Josepho annos Isaaci Gen. 35, 28 non auctos esse. Si enim non ex auctoritate codicis sui bibliorum sacrorum, sed quasi ludens 215 annos praemisisset annis 430, nihil vetuisset commorationi Abrahami in Haran 10 annos dari. Multo minus excogitari potest quidquam, quod Flavium Josephum moverit ad mutandum numerum Gen. 25, 26.

At varia lectio, quam Flavius Josephus Exod. 12, 40 legebat, ni fallimur, causa fuit, cur Gen. 35, 28 verus ac genuinus numerus 185 mutatus sit in 180. Tribuens enim aliquis habitationi filiorum Israel in Chanaan integros 30 annos, 400 autem integros habitationi in Aegypto, ad marginem loci Gen. 35, 27 breviter annotavit, Jacobum apud patrem advenisse, quando hic 180 annorum erat, i. e. 5 annis ante patris mortem. Alius tunc superveniens, quia Isaacum eodem anno, quo Jacobus advenisset, mortuum esse recte judicavit, eum ipsum numerum a margine in textum v. 28 recepit, a vero et genuino numero annorum Isaaci quinarium delens.

Secutus opinionem eorum, qui ex auctoritate loci male intellecti Gen. 15, 13 et loci Exod. 12, 40 adjectis vocibus „et in terra Chanaan“ depravati 400 annis in Aegypto Israelitas aut habitasse aut adversa fortuna agitados esse contendebant, aliquis codici chaldaico libri Judith, opera Hieronymi latine verso, eundem errorem intulit, quem textus graecus et syriacus non habent (Judith 5, 10.).

VI. Qui locum Flavii Josephi Antiqq. II. 15 §. 2 emendandum esse duxit *Pseudojosephus*, ad hoc faciendum adigebatur alia lectione varia, quam vetus versio Itala cum codice Alexandrino versionis LXX tuetur, in quo legitur: „*Ἡ δὲ παραίτησις τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, ἣν παρώκησαν ἐν γῆ Αἰγύπτῳ καὶ ἐν γῆ Χαναάν, αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν, ἔτη 430*“, et quam pentateuchus samaritanus sensu eandem, verborum structura meliorem sic exprimit: „*Et habitatio filiorum Israel et patrum eorum, qua habitaverunt in terra Chanaan et in terra Aegypti, 430 anni.*“ Itaque *Pseudojosephus* et omnes, qui in suis bibliorum sacrorum codicibus Exod. 12, 40 talia legebant, ab Abrahamo in Chanaan habitante usque ad exitum de Aegypto 430 annos numerabant. Cur autem *Pseudojosephus* confidenter asserat, horum 430 annorum ipsam dimidiam partem alteram ante, alteram post Jacobum in Aegyptum profectum absumtam esse, et cur Gen. 25, 26 genuinus numerus 80 mutatus sit in 60, ne huic computo repugnaret, eorum causam postea indicabimus.

VII. Praeter duas lectiones varias, de quibus §§. V. VI. sermo fuit, codices longe plurimi hebraici a prima manu omnesque editiones typis impressae habent Exod. 12, 40: „*Et habitatio filiorum Israel, qua habitaverunt in terra Aegypti, anni 430.*“ At harum trium lectionum variarum ullam ut genuinam signare non possumus: non quod eae omnes nostrae loci Gen. 15, 13 seqq. explicationi ad-

versantur (nam nos non sumus ii, quorum opinionibus et veritas ipsa cedere debeat), sed quod etiam eam, quae primo oculorum obtutu genuinae eo similior esse videtur, quo est brevior, ex nota versui sequenti inusta cognovimus esse spuriam.

At quae tandem erat lectio genuina? — Diligentissime conquisitis et perpensis omnibus et singulis, quae huic quaestioni solvendae possunt inservire, magna cum fiducia textum genuinum vv. 40. 41 restituere conati sumus. Ubi enim auctoritate testium omnibus manu scriptis codicibus servatis longe antiquiorum nobis obtigit, ut inveniremus quae v. 41 exciderunt, ansam nacti u mus investigandi, quae v. 40 olim lecta sint genuina loco spuriorum aliquorum nunc ibi obviorum. Quae in textu masorethico genuina sunt latine, quae emendanda aut addenda sunt hebraice exprimentes, jam textum genuinum restitutum subjungimus.

Exod. XII. 40. Et habitatio filiorum Israel, qua habitaverunt in terra Aegypti, 30 anni et 4

דרות שנים

41. Et factum est expletis 30 annis et 4 centuriis annorum, אַחֲרֵי אֲשֶׁר יָצְאָה אֶבְרָהָם מֵאֵרֶץ מִצְרַיִם — factum est eo ipso die, ut exirent omnes exercitus Domini de terra Aegypti.

Quod voces attinet, quas v. 40 in locum eorum, quae nunc ibi leguntur, substituimus, secundum idiotismum Hebraeis et Germanis communem sicut hi Genitivum partitivum contemnentis v. g. dicunt: „2 Dutzend Stühle“, illi usurpant „3 Wochen Tage“ (Dan. 10, 2.), et hoc nostro loco „4 Generationen Jahre“. Quatuor autem aetates hominum ex computo temporibus illis antiquissimis vulgari sunt anni 160, quibus si 30 annos adjeceris, 190 anni habitationis filiorum Israel in Aegypto proveniunt, quot eos ibi transegisse jam probavimus. Voces autem satis multas, quas locum Gen. 11, 31 imitati v. 41 restituimus, olim ibi fuisse, Flavii Josephi maxime et Pauli Apostoli testimonia nos docuerunt, quibus adjungendus testis tertius Pseudojosephus est.

Vulgo quidem longa series annorum non numerabatur spatiis 40 annorum, sicut et nos in vitae quotidianae usu perraro hominum aetates proferimus, multorum annorum spatia signare volentes. Sed quoniam anni v. 40 commemorandi et ii, de quibus v. 41 sermo futurus erat, id commune habent, ut 30 annis utrimque deductis reliqui quaterna spatia compleant aut 40 aut 100 annorum, auctor lecturis et audituris gratum aliquod facturus diversa haec annorum spatia quam potuit simillimis numeris et vocibus expressit, altero loco ponens 30 annos et 4 דרות שנים, altero 30 annos et 4 מאות שנה. Jam librarius quidam voces describendas exigua cum cura intuitus (quod saepissime factum esse norunt omnes), post δεκάδας annorum ex consuetudine εκατοντάδας posuit, atque ita facillimo negotio pro genuinis 4 spatiis 40 annorum totidem 100 annorum spuria in textum v. 40 irrepserunt. Ex hoc primo librarii errore magnus ille exercitus lectionum variarum prodiit, quibus hic locus magis distinctus est, quam ullus totius V. T. — Quoniam autem jam codex hebraicus a LXX interpretibus graece versus labe inde manante inquinatus erat, et Samaritani eum locum depravatum legebant, error iste si non ante, certe non multo post Esram inoleverit necesse est.

VIII. Mutatum v. 40 non potuit quin sequeretur v. 41 mutatio. Cujus mutandi licet longe plures modi esse potuerint, hic eos tantum nominabimus satis multos, quos revera fuisse testimoniis constat.

1. Quorum pietas plurimum textui a patribus tradito pepercit, hi non deleverunt e v. 41 nisi genuinum terminum a quo 430 anni fuerint usque ad exitum de Aegypto, reliquaque omnia intacta servantes v. 41 in eam formam decurtarunt, quam nunc habet in libris impressis. At eo ipso quod plura non deleverunt, factum est ut versus iste nunc mutilus appareat et ex se bene multa recisa esse ipse testetur. Nulla enim lingua patitur reassumptionem vocis in eodem enunciato nisi post plura interjecta, praesertim in libris stilo historico exaratis. Jam vox יְיָ non reassumitur post solum numerum dierum, aut mensium et annorum indicatum (vide v. g. Gen. 8, 6. 13); versu autem 41 quum reassumatur, longe plura inter eam primo positam et reassumtam olim stetisse certum est, quam quae nos nunc legimus. Ea autem ipsa, quae nos textui inserere conati sumus, olim ibi exhibita atque in uno alterove bibliorum sacrorum codice etiam primo p. Ch. n. saeculo reperta fuisse, vel Pauli Apostoli auctoritate nobis persuasum est, Gal. 3, 17 docentis: a promissione, quae Abrahamo mox ante iter de Ur Chaldaeorum in terram Chanaan susceptum primo dabatur (Gen. 12, 1—3; 15, 7), usque ad legem, cujus ferendae initium mox post exitum filiorum Israel de Aegypto erat, fuisse 430 annos. Cujus de hac re datum testimonium si quibus minus firmum esse videatur, et alios testes habemus paratos, qui vera dicant.

2. Vox reassumta יְיָ , satis fida criminis commissi index, una cum iis quae post indicatum numerum 430 annorum olim eam praecedebant, non legitur in cod. 319 de-Rossiano, ut quam deletis praecedentibus stilus jam non ferat.

3. Cum reassumta voce יְיָ et tres voces proxime eam sequentes deletae erant in codice hebraico, qui fons fuit versionis LXX, exprimentis: *Καὶ ἐγένετο μετὰ τὰ 430 ἔτη, ἐξῆλθε πτλ.*

4. Quibus numerus annorum 430 bis positus non ferendus videbatur, primas voces v. 41 scripserunt יְיָ מִקְצֵה . Molestum annorum numerum eundem secundo positum sic compensantes Suffixo, deletis praeterea sequentibus cum voce reassumta יְיָ , textum eum fecerunt, quem Hieronymus latine reddidit: *Quibus expletis, eadem die egressus est etc.*

5. Audacissimi, deletis omnibus quae vocem יְיָ reassumtam praebant, ab hac prima voce versum 41 prosequerantur, quod testantur codices Kennicottiani quatuor et de-Rossiani sex.

6. E codicibus v. 40 additum exhibentibus „et in terra Chanaan“ — (ne habitationi in Aegypto 430 anni omnes tribuerentur, sed 400 tantum secundum male intellectum locum Gen. 15, 13) — is quem Flavius Josephus tenebat, mutata voce מִקְצֵה , quam Hieronymus latine vertit, in forma et sonu similem מִקְצֵה , partis dimidia vocabulum, retentis praeterea genuinis, quae in codicibus aliis bene multis deerant, vv. 40. 41^a haec habuit: „*Et habitatio filiorum Israel, qua habitaverunt in terra Aegypti et in terra Chanaan, 430 anni: et erat dimidia pars (i. e. 215 anni) posteaquam exiit Abrahamus de Ur Chaldaeorum, ut pergeret in terram Chanaan.*“ — Haec ipsa enim lectio subjacet textui genuino Antiqq. II. 15 §. 2, quem supra §. V. restituimus, et hinc confidenter Flavius Josephus posuit 215

annos ab Abrahamo de Ur Chaldaeorum proficiscente usque ad Jacobi apud Isaacum patrem praesentiam, sive inceptam habitationem filiorum Israel in Chanaan.

7. E codicibus v. 40 aut cum pentateucho samaritano aut cum codice Alexandrino versionis LXX facientibus (nimirum ut anni habitationis in Aegypto numerum 200 non multum excederent, atque ita consensus fieret hujus loci cum genealogia Aaronis Exod. 6, 16 seqq. posita) — is qui Pseudojosephi erat, retentis vocibus וַיְהִי מְהַרְצָה, quas Flavius Josephus legit, rejectis autem reliquis Josephinis praeter אֶל-אֲרֶץ כְּנָעַן, haec exhibuit vv. 40. 41^a: „*Et habitatio filiorum Israel et patrum eorum, qua habitaverunt in terra Chanaan et in terra Aegypti, 430 anni: et pertinebat dimidia pars (i. e. 215 anni) ad terram Chanaan.*“ — Haec est lectio, ad quam Pseudojosephus Josephum emendandum esse duxit, et quae causa esse videtur, de qua Gen. 25, 26 genuinus numerus 80 mutatus sit in 60, ne divisioni 430 annorum in duas partes aequales ante et post iter Jacobi in Aegyptum ponendas contradiceret. Abrahamus enim in terra Chanaan advenit 25 annis ante natum Isaacum, et Jacobus 130 annorum in Aegyptum profectus est: quarum rerum gestarum altera si ab altera secundum hanc variam lectionem 215 annis distabat, a nato Isaaco usque ad natum Jacobum non 80, sed 60 tantum anni numerandi erant.

Itaque, si exceperis librarii errorem, quo v. 40 pro genuinis vocibus דְּרֹזַת שְׁנַיִם positae sunt spuriae מְאוֹרֵת שְׁנָה, genuina sunt omnia quae textus masorethicus exhibet, qui ex eo tantum uno praeterea vituperandus est, quod v. 41 non habeat ea, quae trium testium auctoritate innixi nos restituenda esse existimavimus, et quorum auxilio via nobis aperta est ad cognoscendum in v. 40 errorem primum: laudandus tamen, quod vestigium retinuerit, ex quo bene multa ibi deleta esse sentire possimus. Integrum v. 41 genuinum qui in biblicorum sacrorum codice suo legerit, praeter Paulum Apostolum scimus neminem. At cum spuris aliquibus genuina omnia ea legit Flavius Josephus, quae in textu masorethico desiderantur, quorum saltem tria verba, sed plurimi facienda servaverat codex Pseudojosephi.

IX. Explicatis ita et inter se conciliatis locis Gen. 15, 13 et Exod. 12, 40. 41, necessarium visum est, de historia Israelitarum in Aegypto habitantium pauca adjungere.

1. Josephus per satis longum tempus magno apud Aegyptios in honore fuit, et propter eum filii Israel omnes. Cujus rei testis est publicus totius Aegypti luctus ob decessum Jacobi, et conductus splendidus, quo et optimates Aegyptii eum in terram Chanaan extulerunt sepeliendum (Gen. 50, 4 seqq.). At novus rex Josephum etiamtum vivum neglexit, ejusque curam non habuit (Exod. 1, 8 — Cf. Ges. L. M. s. v. יִרְעָה nro. 7), ita ut Josephus ultimis vitae annis afflictiones filiorum Israel in Aegypto ipse videret, et, ante mortem libertatis per Dei auxilium certo affuturam commemoratione oppressos consolatus, jam nullo Aegyptiorum luctu ibi sepeliretur (Gen. 50, 24 seqq.).

2. Oppressionis et afflictionum causa fuit invidia concepta de magna hominum multitudine, in quam Israelitae corporum firmitate Aegyptios longe superantes brevi tempore crescebant, deinde et metus, ne, si quando osoribus Aegyptiorum belli his inferendi animus fieret, Israelitae icto

cum iis foedere elevatum e solo locum peterent (עֲרֹךְ מִן הַלְּבָנִים), i. e. solium regium Aegypti occuparent, et Aegyptiorum domini evaderent (Exod. 1, 9. 10). Inferendum enim ab Israelitis ipsis motoribus bellum Aegypti rex non timuit, sed a certis quibusdam osoribus Aegyptiorum, qui viribus Israelitas non aequabant, quum hi, non illi bello prospere gesto regnaturi esse regi viderentur.

3. Osos istos remota omni dubitatione contendimus fuisse Philisthaeos, qui olim in Aegypto habitaverant, et quorum vacua relicta loca Casluchim, Aegyptium genus, occupaverant (Gen. 10, 14). At non habitaverant tantum, sed regnaverant in Aegypto, et primi ex eorum genere reges Cheops et Chefren sacra violantes Aegyptiorum tantum odium in se concitaverant, ut hi, ab Herodoto interrogati de auctoribus pyramidum ab ipsis exstructarum, eorum nomina *ὑπὸ μίσους* aegre proferrent, sed *ποιμένος Φιλίτιος* eas esse responderent, i. e. a Philisthaeo pecora alente exstructas (Herodot. II. 128). Philisthaei igitur pastores, Aegyptiis exosi non solum quod pecora alebant (Gen. 46, 34), sed multo etiam magis quod rerum Aegypti potiti erant, certe Aegyptum non reliquerunt nisi vi coacti. Quorum expulsorum pars sane exigua novas sedes sibi paravit confines Aegypto, solium regium ponentes in urbe Gerar (Gen. 20, 1 seqq.). Quo tempore Aegypto expulsi sint, scriptura sacra indicium habet. Apud quos enim Abrahamus peregrinabatur in Aegypto non ita multo post adventum in Chanaan, Aegyptii vocantur illi quidem et eorum rex Pharaos, quia non solum a genere, sed etiam a terra quam incolunt homines nominari solent, et reges alienigenae quoque nomine regio vocantur ejus terrae, cujus reges sunt; sed qui primas tunc in Aegypto partes tenebant, certe non erant Aegyptii genere. Nam non solum non abominabantur Abrahamum pecora alentem, verum etiam, quam decepti sororem ejus habebant, Saran regi commendabant ut uxorem duceret (conf. Gen. 43, 32.), nec non honorabant Abrahamum, pecora et mancipia ei dono dantes (Gen. 12, 10 seqq.). Contra ea autem jure optimo licet concludere, Aegyptios illos, qui Abrahamum peregrinum hospitio excipiebant, ac Philisthaeos Gerarenses, apud quos anno fere 1 ante natum Isaacum Abrahamus, et postea Isaacus 120 fere annos natus commorabatur, unum atque idem fuisse genus hominum, nam habebantur et erant morum eorundem (Gen. 12, 10 seqq.; 20, 1 seqq.; 26, 1 seqq.). Abrahamus igitur anno fere 1 post adventum in Chanaan famem fugiens in Aegyptum profectus est, quia a Philisthaeis pastoribus tunc primas ibi partes habentibus se et ipsum pecora alentem benigne exceptum iri sperare poterat; anno autem fere 24 ab adventu in Chanaan iterum famem fugiens in Aegyptum jam non perrexit, quod expulsis tunc jam Philisthaeis Aegyptios indigenas hospitaes sibi pecora alenti non futuros esse scivit, sed mansit apud Philisthaeos Gerarenses (conf. Gen. 26, 2; 46, 3). Anno fere 120 Isaaci Philisthaeorum Gerarensium rex ducem exercitus habuit quidem, sed populus ejus certe exiguus erat numero, quod Isaacus regi praepotens esse videbatur, et hic a foedere cum Isaaco inito non parva commoda percepturum se esse speravit (Gen. 26, 16. 26 seqq.). Ab eo autem tempore usque ad oppressos in Aegypto Israelitas anni fere 150 fuerunt, post quos Philisthaei isti, ex longo tempore Aegyptiis exosi ososque rursus Aegyptiorum, numero et viribus ita aucti esse poterant, ut Aegyptiis minus validis (Exod. 1, 19) et metum incuterent, ne Israelitis et numero et virtute plurimum valentibus sociis sibi adscitis Aegypto bellum inferrent. Atque haec erat causa,

cur Aegyptii Israelitas affligerent et in servitutem redigerent, nimirum ne Philisthaeis Gerarensibus socii fierent, quorum auxilio in Aegyptios ulciscerentur.

4. At parva manus Philisthaeorum Gerarensium si tantum metum Aegyptiis movit, furoris et insaniae, qua inter Aaronem et Mosen natum anno fere 108 habitationis Israelitarum in Aegypto ad hos penitus extinguendos ferebantur (Exod. 1, 15 seqq.), nulla alia causa erat, nisi quod improvisi in vicinia Aegypti eo tempore aderant Philisthaei Pentapolitani. Philisthaeorum enim Aegypto expulso magna pars navibus Caphthor insulam, i. e. Cretam petierant, ubi ante eos colonia Aegyptia collocata fuisse videtur (Gen. 10, 14). Philisthaei isti Creta insula relicta, in terra, quae postea eorum nomine Palaestina vocabatur, deletorum et expulso Avitarum loca occupantes, pentapolim Philisthaeorum fundarunt, urbes regias Gaza, Ascalon, Asdod, Ecron et Gath habentem (Deut. 2, 23; Amos 9, 7). At quo tempore hoc factum est?

I. Chron. 7, 20—23 Ephraimi genere per Schuthelach filium usque ad generationem septimam deducto, ii omnes Ephraimino etiamtum vivo et valido occisi esse narrantur ab incolis urbis Gath, non recentibus Philisthaeis aliunde oriundis, sed veteribus Chanaanacis ibi natis, qui praedandi causa in Aegyptum descenderint. Quam mature stirpis Ephraimiticae homines ad gignendum apti et proclives fuerint, testatur praeterea, quod Josephus, anno 70 habitationis Israelitarum in Aegypto mortuus, Ephraimi abnepotes vidit (Gen. 50, 23). Jam quum in illis regionibus puellae post superatum annum 12, et pueri post superatum annum 13 ad gignendum maturi esse soleant (Nidda 5, 5—9; 6, 1. 11), et genus Judae in Aegyptum proficiscentis tum demum explicari possit, si tam ipsum quam filios anno 14 aetatis matrimonia iniisse statuatur (Gen. 38, 1 seqq.; 46, 12), in stirpe Ephraimi generationem a generatione non longius 15 annis distiterit necesse est, si quidem Josephus quartam, et ante senectutem decrepitam Ephraimino septimam filiorum generationem vidit. Ephraimino igitur, qui quo tempore Jacobus cum filiis in Aegypto advenit fere 4 annorum erat (Gen. 41, 50; 48, 7), primanus natus est Schuthelach anno habitationis Israelitarum in Aegypto 11, secundanus Bered anno 26, tertianus Thahath anno 41, quartanus Elada anno 56, quos omnes vidit Josephus anno 70 mortuus: post mortem Josephi quintanus Thahath anno 71, sextanus Zabad anno 86, et e septimanis Schutelach anno 101, Ezer non ante annum 102, Elad non ante annum 103. Post hunc annum 103 et ante annum 116, quo primo septimanorum octavanus nascendus erat, veteres incolae urbis Gath, Chanaanacis genere, praedatum descenderunt in Aegyptum. Sed postquam per Philisthaeos a Creta insula profectos opibus exuti et sedibus pulsi fuerint, hos id fecisse, et fere anno 108 habitationis Israelitarum in Aegypto, ille ipse repentinus furor regis Aegypti probat, qui post Aaronem natum in Israelitas excaudit. Occisis illis posteris, Ephraimino post superatum annum aetatis 112 suscepisse Beria filium, vero non absimile est, nam Israelitae multi coevi annum 130 aetatis multo superabant (Exod. 6, 16 seqq.).

5. Tanta hominum feracitas, qualem apud Ephraimitas fuisse videmus, cum longaevitate conjuncta efficit, ut Israelitarum 190 annis in Aegypto habitantium multitudo paene innumera fieret (Exod. 1, 7. 9. 12; 12, 37). Accedit, quod nihil jubet, omnes qui Mose duce Aegyptum egressi sint

ad Jacobum patrem referri, ita ut omnes a 70 filiis et nepotibus originem duxerint, qui Jacobo in Aegyptum proficiscenti fuerunt (Gen. 46, 27). Nam si uni Abrahamo 318 servi erant ad bellum gerendum idonei (Gen. 14, 14), quibuscum ejusdem religionis vinculo junctus erat (Gen. 17, 12. 13. 27), quantam hominum copiam cum Jacobo in Aegyptum profectam esse suspicari licet? Filii enim ejus undecim postquam matrimonia inierunt, suos singuli greges habebant, quos servis pascendos commiserunt (vide Gen. 38, 1 seqq.). Caeterum expressis verbis docetur, magnam quoque copiam hominum, qui non genere Israelitae fuerint, Mose duce Aegyptum egressos esse (Exod. 12, 38).

X. Ut tandem finem faciamus, sequuntur

**Res gestae inde ab Abrahamo de Ur Chaldaeorum proficiscente usque ad exitum
Israelitarum de Aegypto.**

Abrahamus promissione a Deo donatus de Ur Chaldaeorum proficiscitur, et 5 annis commoratur in Haran	1—5
Abrahamus de Ur Chaldaeorum exiens 70 annorum erat, et Therach pater 200 annorum. Narratur Gen. 11, 27 Therach post superatum annum 70 aetatis tres filios genuisse, quorum celeberrimus Abram primo loco nominatur, licet certo non fuerit primogenitus. Nam a nato Therach usque ad natum Abrahamum 130 annos esse, certum est ex Gen. 11, 32; 12, 4 (conf. Act. 7, 2—4). Anni autem 5 habitationi in Haran dandi sunt, ut ab exitu de Ur Chaldaeorum usque ad exitum de Aegypto 430 annorum numerus emergat.	
Abrahamus 75 annorum de Haran in terram Chanaan profectus, mox in Aegyptum tendit famem fugiens	6
Philisthaei pastores, apud quos Abrahamus in Aegypto peregrinabatur, inde expulsi sunt fere anno inter 6 et 29 medio post Abrahamum de Ur Chaldaeorum profectum . . .	18?
Abrahamus iterum famem fugiens peregrinatur apud Philisthaeos Gerarenses, anno fere 1 ante natum Isaacum	29
Abrahamo 100 annos nato Isaacus nascitur	30
Isaacus 40 annorum init matrimonium	70
Abrahamus moritur 175 annorum	105
Isaaco 80 annorum <i>μετὰ τὴν Ἀβραάμον τελευταίην</i> nascuntur gemini Esavus et Jacobus . .	110
Esavus 40 annorum uxores duxit	150
Jacobus benedictione paterna munitur et in Mesopotamiam tendit 75 annorum, annis 55 ante iter in Aegyptum	185
Jacobus habitat apud Labanum 20 annos	186—205
Josephus nascitur sub finem anni 14	199
Jacobus 10 annis post relictam Mesopotamiam ad Isaacum patrem Hebrone habitantem venit, anno Josephi 16	215

Paulo post Jacobi e Mesopotamia adventum moritur Isaacus 185 annorum	215
Paulo post Isaaci mortem Josephus venditur	216
Josephus e custodia liberatur post completum annum 30 aetatis	230
Anni 7 fertiles, intra quos Manasses et Ephraimus nascuntur	231—237
Anni 2 steriles	238—239
Iter Jacobi et filiorum in Aegyptum	240
Jacobus moritur in Aegypto 147 annorum	257
Novus rex Aegypti Josephum negligens et Israelitas opprimens maxime ob metum Philisthaeorum Gerarensium	300?
Josephus moritur 110 annorum	310
Levi moritur 137 annorum	333
Aaron nascitur	347
Philisthaei a Creta insula advenientes pentapolim suam constituunt, quorum metus ad extirpandos Israelitas impellit regem Aegypti	348
Moses nascitur	350
Kethath moritur 133 annorum	370
Amram moritur 137 annorum	420?
Exitus Israelitarum de Aegypto	430

Valeatis, Commilitones, atque hisce utamini sapienter, ut omnibus.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGICI.

Mich. Jos. Krueger, Dr. P. P. O. h. t. Decanus.

- I. Antiquitates sacras Hebraeorum docebit diebus Lunae et Jovis hora IX—X.
- II. Vaticiniorum Jesaiae partem priorem interpretabitur diebus Martis et Veneris hora IX—X.
- III. Ad Hebraeos datam epistolam Paulinam explicabit diebus Mercurii et Saturni hora IX—X.

Andr. Menzel, Lic. P. P. O. Des.

- I. Introductione generali in studium theologicum praemissa tradet Apologeticen diebus Lunae et Jovis hora II—III, nec non die Veneris hora X—XI.
- II. Doctrinam de redemptione et de gratia tractabit diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis h. X—XI.
- III. Repetitiones disputatorias dogmaticas moderabitur die Saturni hora X—XI.

Andr. Thiel, Lic. P. P. E. Des.

- I. Historiam ecclesiasticam aevi recentioris enarrabit diebus Martis, Mercurii, Jovis, Veneris et Saturni hora XI—XII.
- II. De antiquitatibus ecclesiasticis disseret diebus Martis, Jovis et Veneris hora VI—VII.

Anton. Paschke, Lic.

- I. Introductionem generalem in Veteris et Novi Testamenti libros sacros proponet a die Lunae usque ad diem Jovis quotidie hora VIII—IX.
- II. Evangelium secundum Joannem interpretabitur die Martis hora II—III et diebus Veneris et Saturni hora XI—XII.

B. ORDINIS PHILOSOPHICI.

Laur. Feldt, Dr. P. P. O. h. t. Prodecanus.

- I. Historiam Geometriae inde ab antiquo aevo usque ad nostra tempora adumbrabit et theoriam generalem linearum et superficierum curvarum tradet diebus Lunae, Mercurii et Jovis hora II—III.
- II. Physicen experimentalem docebit et Conversatorium de rebus physicis instituet diebus Lunae et Jovis hora X—XI.
- III. Astronomiae elementa ita explicabit, ut ab iis etiam, qui mathesi sublimiori discendae non dederunt operam, intelligi possint, diebus Martis, Mercurii et Veneris hora X—XI.

Max. Truetschel, Dr. P. P. O. Des.

- I. Logicam docebit quater per hebdomadem, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis hora VIII—IX.
- II. Metaphysicam docebit quinque per hebdomadem diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris hora vespertina V—VI.
- III. Aristotelis de anima libellum offert interpretandum diebus et horis definiendis.

Franc. Beckmann, Dr. P. P. O. Des.

- I. Cultus humani historiae partem priorem tradet ter per hebdomadem hora X—XI.
- II. Aut Sophoclis Oedipum regem, aut Aristotelis artem poeticam interpretabitur bis per hebdomadem horis definiendis.
- III. Prudentii hymnos explicabit bis per hebdomadem hora X—XI.
- IV. Latine loquendi scribendique exercitationes moderari perget bis per hebdomadem horis definiendis.

Publica doctrinae subsidia.

Bibliotheca Lycei Regii Hosiani, cui praest Prof. Dr. **Feldt**, diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris hora XI et die Mercurii hora II studiosis patebit. — Apparatus physicus, et instrumenta mathematico-astronomica cum ad lectiones adhibebuntur, tum aditus suo loco petentibus lubenter dabitur.

Stipendium Scheillio-Bussianum.

Ut pro praemio assequendo ad certamen litterarium descendant, Commilitonibus humanissimis proponitur quaestio:

„De jejuniis Christianorum“.

Praemium constitutum est XXI Imperialium. Tempus exhibendarum scriptionum terminatum est d. 1. Jul. MDCCCLVI.